

Quando secundum communem consuetudinem ecclesie, & iuxta veterum Patrum sanctiones ac decreta, festum Paschatis, quopiam anno, in eundem diem mensis incidere repetimus, tum in nostro hoc opere Ephemeridum Pascha id verum esse constituimus, ut propter vnanimem consensum concurrentium testimoniorum: Contra quando in diuersos dies cecidisse deprehendimus, illud Pascha potissimum celebrandum proposuimus, quod secundum communem consuetudinem ecclesie decerni solet, appellauimusque id pascha vsitatum.

DE RELIQVIS FESTIS MOBILIBVS, AD quemlibet annum Domini currentem inueniendis,

CAPVT VII.

**H**abito festo Paschatis vero, aut vsitato, per doctrinam Capituli superioris, numerato retrorsum hebdomadas sex, et peruenies ad Quadragesimam, quæ est dominica Inuocauit. A Quadragesima numerato retrorsum hebdomadam vnam, & peruenies ad Dominicam Esto mihi, quæ est Bacchanaliorum. Ab Esto mihi numerato retrorsum hebdomadas duas, & peruenies ad Septuagesimam. A Septuagesima numerato retrorsum hebdomadas vscq; in principium Mensis Ianuarij, cui semper hebdomadas tres addito, & collectum, Intervallum dicitur. Item ab antedicto festo Paschatis, numerato antorsum hebdomadas quinque, & peruenies ad Dominicam Rogationum. Dies autem Iouis, qui ei proximè succedit, festum ascensionis Domini dicitur. A Dominica Rogationum numerato antorsum hebdomadas duas, & peruenies ad festum Pentecostes. Die Iouis proximo post hebdomadam vnam à Dominica Pentecostes, memoria Corporis Christi celebratur.

Aduentus Domini dicitur ea Dominica, quæ proximior est festo S. Andreae Apostoli, siue illa id præcedat, siue sequatur. Si festum S. Andreae in diem Dominicum quopiam anno incidit, eo ipso quoque die aduentus Domini erit.

Festum Sancti Matthiae Apostoli in anno communi semper die 24. Februarij ponendum est: In anno vero bisextili die 25. Etsi vero hæc ratio limitationem quandam auctoritate decretalium habet, tamen nos eam in hoc nostro Ephemeridum opere sequuti non sumus, adducti consilio viri Clarissimi, Doctoris Achillis Garsari Pirmenij Lindauensis, Medici ac Mathematici insignis, qui nunc apud nos Augustæ floret. Huius capituli præcepta cum omnino facilia sint, exemplari declaratione opus non habent.

DE DIRECTIONE, RETROGRADATIONE, & stationibus quinque Planetarum.

CAPVT VIII.

**P**laneta directus esse dicitur, cum secundum consequentiam signorum, graduum ac minutorum progreditur, hoc est, dum motus eius in Ephemeridibus assignatus augetur. Retrogradus cum contra fertur, hoc est, dum motus eius diurnus minuitur. Stationarius vero est, cum motus eius diurnus neque crescit, neque decrescit, sed idem permanet, hoc est, dum nulla graduum ac minutorum variatio in motu apparet. Et tunc Planeta, aut in statione prima, aut secunda versatur. In statione quidem prima, postquam statim regredi incipit: in secunda vero, progredi.

Exemplum Planetæ directæ.

Anno domini 1560. currente, Mense Iulio Mars directus est, cum secundum consequentiam signorum, graduum ac minutorum progredietur, hoc est, cum motus eius in Ephemeridibus assignatus, augetur.

Exemplum